

quinquagesimo et sexto anno aetatis suae, tricesimo et tertio aetatis meae, anima illa religiosa et pia corpore soluta est.

CAP. XII. QUOMODO LUXERIT MORTEM MATRIS.

Premebam oculos ejus, et confluebat in praecordia mea moestitudo ingens, et transfluebat in lacrymas: ibidemque oculi mei violento animi imperio resorbebant fontem suum usque ad siccitatem, et in tali luctamine valde male mihi erat. Tunc vero, ubi efflavit extremum spiritum, puer Adeodatus exclamavit in planctum, atque ab omnibus nobis coercitus tacuit. Hoc modo etiam meum quiddam puerile, quod labebatur in fletus, juvenili voce cordis coercebatur, et taciebat. Neque enim decere arbitrabamur funus illud questibus lacrymosis, gemitibusque celebrare; quia his plerumque solet deplorari quaedam miseria morientium, aut quasi omnimoda extinctio. At illa nec misere moriebatur, nec omnino moriebatur. Hoc et documentis morum ejus, et fide non ficta, rationibusque certis tenebamus. Quid ergo erat, quod intus mihi graviter dolebat, nisi ex consuetudine simul vivendi, dulcissima et charissima repente dirupta, vulnus recens? Gratulabar quidem testimonio ejus, quod in ea ipsa ultima aegritudine, obsequiis meis interblandiens appellabat me pium et commemorabat grandi dilectionis affectu, nunquam se audisse ex ore meo jaculatum in se durum, aut contumeliosum sermonem. Sed tamen, quid tale, Deus meus, qui fecisti nos, quid comparabile habebat honor a me delatus illi, et servitus ab illa mihi? Quoniam itaque deserebar tam magno ejus solatio, sauciabatur anima mea, et quasi dilaniebatur vita, quae una facta fuerat ex mea, et illius. Cohibito ergo a fletu illo puero, Psalterium arripuit Evodius, et cantare coepit Psalmum. Cui respondebamus omnis domus: Misericordiam, et judicium cantabo tibi, Domine. Auditio autem quid ageretur, convenerunt multi fratres, ac religiosae foeminae, et de more illis, quorum officium erat,